



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 6. De obligatione hominis ad dilectionem Dei & peccatis ipsi oppositis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

neat, tamdiu remissionem peccatorum, virtute suæ fidei recepturum, & infallibiliter salvandum: præsumptionis Divinæ misericordiæ & Hæresis crimen simul incurrit: qui vero auxilium, misericordiam, gratiam vel effectum quemcunq; à Deo certo exspectat medijs inordinatis, exclusis & contemptis medijs Ordinatis, peccat mortaliter & Deum tentare cognoscitur. Demum præsumptio de divina misericordia, quatenus aufert rigorem divinæ justitiae, vel claudit viam ad gratiam, vel peccato habenas laxat, est peccatum in Spir. S.

### *Articulus Sextus.*

#### *De obligatione Hominis ad Dilectionem Dei & peccatis ipsi oppositis.*

1. **D**atur præceptum Charitatis, obligans hominem sub peccato mortali ad amandum Deum, cuius totalis substantia est: ut actus Dilectionis Dei excludat omnem actum contrarium, vero amori Dei: id est ut nihil supra Deum, nihil æqualiter Deo diligatur, sed voluntas feratur in Deum ut supremum bonum, cui nul-

e 21

lum

Ium æquale est. Tribus vero temporibus tenetur homo talem actum dilectionis sub peccato mortali elicere: Primo in initio morali usus rationis, id est quando immediate modo incipit esse capax offendendi Deum mortaliter. Secundo in Articulo vel periculo mortis. Tertio, toties obligatur elicere actū amoris Dei super omnia, quoties tenetur conteri, aut vincere gravem temptationem; aut quando tale opus exercendum est: quod actum amoris Dei super omnia requirit, ut sunt opera ardua quæ sine amore Dei impleri vix possunt.

2. Ex his colligitur quadrupliciter hominem dici diligere Deum. 1. Formaliter: cum actum formalem dilectionis Dei elicet. 2. Virtualiter: quando actus & opera sua in Deum ut finem ultimum dirigit. 3. Interpretative: quando mandata Dei & opera ijs correspondentia exercet. 4. Negative: quia nihil facit quod Deum offendere possit.

3. Omnis autem actus odij vel pravæ affectionis in Deum & Christum, sive in corde interius, sive verbis vel signis mani-

K 3 feste-

festetur exterius: item omnis Blasphemia, execratio, maledictio, pro ut ex affectu pravo in Deum procedunt, sunt peccata mortalia contra præceptum Dilectionis Dei. Amori enim Dei, è diametro opponitur odium dei, & Blasphemia.

### *Articulus Septimus.*

*De obligatione Hominis ad Dilectionem proximi & peccatis oppositis.*

**I.** Dilectionis proximi præceptum fundatur in verbis Christi, *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hic autem finis charitatis in omni dilectione meritoria servari debet, ut homo deum propter se ipsum, se autem & proximum propter deum diligat. Et quamvis nullum sit præceptum de amore sui ipsius, tamen est ut mensura dilectionis proximi, quam mensuram indicant illa axiomata naturæ à principio insita; quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; & omnia quæcunq; vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis. Hoc autem præceptum partim est negativum, partim affirmativum: negativum est quatenus prohibet